

diversitas inter hunc, et priorem casum.

46. *Solvuntur contraria.* — Nec obstat can. *Si quis cum clerico.* 11. q. 1. ubi de actore, clericum in causa pecuniaria coram episcopo ejus conveniente dicitur: « Sin autem noluerit episcopus litem dirimere, tunc ad civilem judicem disceptatio causæ perveniat. » Cui simile quid habetur in Auth. *Ut clerici apud proprios episcopos.* § *Sivero*, col. lat. 6. Resp. enim cum Abbate in cit. c. *Qualiter et quando*, n. 7. de *Judic.* post Joan. Andream, ejusmodi jura, in quantum dicunt, quod episcopo negligente, disceptatio causæ ad civilem judicem perveniat, esse revocata. Vel dicendum, quod cit. can. *Si quis cum clerico*, sit desumptus ex allegata Authentica, seu ex Novella 83. prout ibidem a margine notatur: unde sicut leges civiles de clericis expresse disponentes, ex defectu jurisdictionis non valent, nisi quatenus approbantur ab Ecclesia, ut dictum, tit. de *Constitutionibus*, § 13. n. 290. et seqq.; ita nec in citata Authentica; neque canon ex ea desumptus quidquam habet firmitatis; cum non solum nunquam ab Ecclesia fuerit approbatus, sed etiam expresse reprobatus; ut cit. c. *Qualiter et quando*, de *Judiciis*, cum concordantiis.

47. *Solvuntur contraria.* — Nec rursus obstat can. *Filiis, vel nepotibus.* 16. q. 7. atque desumitur ex concilio Toletano IX. cap. 1. ubi Glossa, § *Regis* infert, quod metropolitano negligente, vel rebus ecclesiasticis abutente, possit adiri rex, ut eum corrigat, cum per ecclesiasticum judicem cogi non possit. Resp. enim hanc Glossæ opinionem, una cum sua ratione, esse falsam: nam etiam metropolitanus cogi potest vel per suum primatum, vel saltem per Summum Pontificem. Neque textus Glossæ opinionem ibidem habet: solum enim asserit metropolitani negligentiam sive abusum, regis auribus esse intimandum, Hujus enim intimationis effectus esse potest, non ut rex metropolitanum corrigat, sed ut ipsum admoneat, vel instet coram superiore, ut hic eum reprehendat, vel compellat, justitiam resque ecclesiasticas rite administrare. Abbas, cit. n. 7; Barbosa in c. *Qualiter et quando*, n. 3, de *Judiciis*, allegans alios.

48. *Solvuntur contraria.* — Dices. In can. *Nos si incompetenter*, 2. q. 7. ipsemet Leo Papa IV submitit se sæculari Imperatoris judicio, illis verbis ipsum allocutus: « Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legibus tramitem non conservavimus, vestro, ac miserrorum vestrorum cuncta volumus emendare

judicio. » Ergo hoc ipsum dici potest de inferioribus prælatis ecclesiasticis, saltem in casu negligentie. Resp. Leonem Pontificem ob querelas suorum subditorum sese imperiali judicio submisisse, non coactivo, sed arbitrario, sive (ut explicat Archidiaconus ibid. n. 1.) ejusdem discretioni: idque ab eo factum fuit ex humilitatis dispensatione, ut inquit Gratianus ibidem, atque ad vitandum fortasse scandalum tunc timendum. Et hoc licere Summo Pontifici, utpote qui est supra omne forum, potestque de jure in jure dispensare, c. *Proposuit.* 4. de *Concess. præbend.* recte notat Archidiaconus, loc. cit. licet secus sit dicendum de inferioribus prælatis ecclesiasticis, c. *Si diligenti.* 12. de *Foro compet.*

49. *Solvuntur contraria.* — Urgebis in cap. II. de *Regularib.* aperte supponitur, quod in causa ecclesiastica ob negligentiam judicis ecclesiastici possit reclamari, et haberi recursus ad Principem; ergo istud frustra negatur. Resp. cum Glossa ibid. § *Ad principem*, et aliis, ibi per *Principem* non intelligi principem sæcularem, sed Papam, qui absolute dicitur Princeps in can. *Corpora. de Consec. dist. 1.* juncta Glossa ibid. § *Princeps*. Unde nihil inde sequitur contra conclusionem.

50. *Si rex, vel alius princeps christianus, est negligens in administratione regni sui, dandus est illi coadjutor per superiorem.* — Quæritur III. Qua ratione sit supplenda negligentia regum christianorum circa administrationem regni sui? Resp. I. Si rex, vel alius princeps christianus, est negligens, ac remissus in sua administratione, dissipando jura regni, vel causas ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum, pauperum, orphanorum, aliarumque miserabilium personarum negligendo etc., tunc debet illi a suo superiore, si quem habet, coadjutor, sive curator assignari, qui ejus vice regni negotia rite disponat. Desumitur hoc ex c. *Grandi.* 2. h. t. in 6 ac notat Barbosa, et Layman ibid. n. 1. cum aliis.

51. *Vel per Summum Pontificem.* — Resp. II. Quod si ejusmodi rex superiorem in temporalibus non recognoscit, simulque regni proceres seu magnates sufficiens remedium adhibere nequeunt, tunc ad summum Pontificem debite requisitum spectat providere, eique idoneum coadjutorem dare. Ita communis canonistarum; atque habetur in cit. c. *Grandi.* 2. h. t. in 6. ubi in facti contingentia istud practicum legitur circa Sanctum Portugallie regem quodam ita negligentem, et remissum circa regni negotia, cui proin Pon-

tifex in coadjutorem regni constituit comitem Bolonensem, ejusdem regis fratrem, salvo tamen jure regni, quod ipsi, ac legitimo ejus filio relinquebatur. Accedit ratio: quia hoc modo ex una parte providetur communi bono regni: ex altera vero nihil juris adimitur illi, cui datur talis coadjutor licet aliquantulum puniatur ejus negligentia, adimendo ipsi administrationem. Deinde, quia etiam episcopo propter senectutem, vel infirmitatem insufficienti ad administrandum episcopatum, datur coadjutor; ut can. *Quamvis*, et can. *Petisti*, 7 q. 1; ergo idem recte fit in regibus negligentibus. Neque enim quælibet negligentia illico digna est dispositione, arg. can. *Quidquid.* 1. q. 1.

52. *Solvitur notabilis instantia ex can.* Alius item, 15. q. 6. — Nec obstat can. *Alius item*, 15. q. 6. ubi rex tantæ potestati inutilis, deponitur. Resp. enim cum Glossa ibid. § *Inutilis*, id non esse intelligendum de rege inutili, hoc est, insufficiente (nam tali debet dari coadjutor per jura citata), sed de dissoluto et scelerato. Et si quis urgeat, dictum Sanctum regem Portugallie fuisse sceleratum, utpote regni destructorem: prout liquet ex cit. c. *Grandi.* § fin. h. t. in 6. ibi: « Eidem regno destructioni exposito; » cur igitur Papa ipsum non deposuit? Respondet Barbosa in c. cap. *Grandi*, n. 5, id contigisse ex eo: quia in illis circumstantiis magis opportunum remedium ad vitanda regni incommoda videbatur esse datio coadjutoris, quam depositio regis; secus fuisse in casu, de quo loquitur d. can. *Alius item.* 15. q. 6.

53. *Et cur tunc ad Papam pertineat providere?* — Porro, quod in tali casu negligentie regis, et nisi proceres regni aliud sufficiens remedium adhibere valeant, ad Summum Pontificem pertineat providere, atque idoneum coadjutorem dare, ex eo liquet, tum quia Papa, veluti Christi in terris vicarius, indirecte, seu casualiter (videlicet, ob bonum regimen Ecclesiæ universalis, sibi divinitus commissæ), etiam de bonis temporalibus omnium christianorum disponere potest; ut d. c. *Per venerabilem. Qui filii sint legitimi.* et Clem. *Pastoralis.* 2. de *Sentent. et re judic.* cum similibus; tum quia causæ Ecclesiarum, ecclesiasticarum et miserabilium personarum, et cura earundem, specialiter ad Ecclesiam spectare dignoscuntur; ut can. 1. et 2. dist. 87. et c. *Ex parte.* 15. *Foro compet.* et alibi; ergo, si ob negligentiam regis vel principis sæcularis, hujusmodi causæ periclitan-

tur, merito auctoritas ecclesiastica implorari ac se interponere potest. Accedunt dicta superioris num. 44.

## TITULUS XI.

## De Temporibus Ordinationum, et qualitate Ordinandorum.

1. *Ratio continuationis.* — Quia inter alia prælatorum, maxime episcoporum, officia recte connumeratur potestas conferendi ordines, quin et ad legitimam eorumdem promotionem certi ordines plerumque requiruntur; idcirco tum de ordinibus, seu sacris ordinationibus, tum de ordinandorum qualitatibus, aliisque huc spectantibus, in hoc et pluribus subsequentibus titulis ex professo tractatur. Placet autem hic materias canonicas potissimum examinare, et resolvere, aliis ad theologiam dimissis.

## § I.

## DE QUIDDITATE AC NUMERO ORDINUM.

2. *Orao sumitur dupliciter.* — Quæritur I. Quid, et quot sint ordines? Pro resolutione hujus quæstiones est præmittendum, quod, quantum attinet ad propositum, ordo dupliciter sumatur: primo, pro gradu præ eminenti in Ecclesia Dei; id est, pro dignitate ecclesiastica quibusdam personis collata, vi sacramenti ordinis recepti. Secundo, sumitur ordo pro ipsa actuali ordinatione, seu institutione alicujus in gradu præ eminenti Ecclesiæ: et hoc posteriori modo acceptus, ordo est unum ex septem Novæ Legis sacramentis, non item in priore acceptione. Sic, v. g., presbyteratus potest sumi vel pro ipsa actuali ordinatione alicujus in presbyterum, et sic est sacramentum; vel pro dignitate, seu potestate sacerdotali, quam quis acquisivit vi ordinationis suæ in presbyterum, et ratione cujus potest valide consecrare et absolvere: et hoc modo presbyteratus non est sacramentum, sed potius aliquid consequens ad sacramentum ordinis presbyteratus jam peractum, sibi que collatum. Et quod dicitur hic de presbyteratu, idem servata proportionem dicendum est de diaconatu, subdiaconatu et quatuor ordinibus minoribus. Hoc prænotato,

3. *Ordo, seu sacra ordinatio, quid?* — Resp. I. Ordo, sive sacra ordinatio, est sacramentum Novæ Legis, quo spiritualis potestas traditur ordinato ad aliquod ministerium circa Eucharistiam digne exhibendum. Ita in re communis; et concordat hæc definitio cum illa, quam ponit Magister sententiarum, in 4. dist. 24. dicens: « Ordo est signaculum, id est sacramentum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, et officium. » Sic quippe ostiariatus est ordo, seu sacramentum Novæ Legis, quo traditur ordinato potestas aperiendi et claudendi januas ecclesiæ, etc. Similiter subdiaconatus est ordo, quo traditur ordinato potestas solemniter cantandi epistolam, et portandi calicem cum patena ad altare. Diaconatus est ordo, quo datur ordinato potestas solemniter cantandi evangelium, ac proxime ministrandi sacerdoti circa confectionem Eucharistiæ. Presbyteratus est ordo, seu sacramentum novæ legis, quo datur ordinato potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, atque fideles confitentes a peccatis absolvendi.

4. *Ordo seu sacra ordinatio quid?* — Atque cum allata sacramenti ordinis definitione concordat illa quam ponit Scotus in 4. dist. 24. quæst. un. § *De tertio*, dicens: « Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminenti, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo, certa verba proferente, et simul cum intentione debita, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter signans gratiam præeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exequatur. » Hæc ille. Quæ definitio, licet sit longior, merito huc apponitur, eo quod naturam sacramenti ordinis exactius declaret.

5. *Septem sunt ordines, juxta theologos.* — Resp. II. Septem sunt ordines in Ecclesia Dei, videlicet, *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus* seu *Sacerdotium*. Ita Magister Sententiarum cit. dist. 24. et theologo communiter, qui septem dicunt esse ordines juxta septiformem gratiam Spiritus Sancti, cujus non sunt participes qui ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt; ut inquit Magister, loc. cit. Concordat concilium Trident. sess. 23. cap. II. ubi enumerans ordines ab ipso Ecclesiæ initio usitatos, septem, et non plures allegat, docens, quod præter sacerdotes et diaconos, de quibus sacræ Litte-

ræ apertam mentionem faciunt, ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, « Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur. » Idem desumitur ex can. 1. dist. 77. ubi Caius Papa omnes, et solos hos septem ordines, quibus ad episcopatum ascenditur, enumerat.

6. *Juxta canonistas novem. Et quo mysterio?* — Fatendum tamen, quod Glossa in can. *Cleros*, dist. 21. § *Psalmista*, et alia Glossa, in præmio *Sexti Decretalium*. § *Episcopus*. et canonistæ communiter, paucis exceptis, teneant, novem esse ordines in Ecclesia Dei; atque hoc non sine mysterio, sed ad formam cœlestis hierarchiæ, et juxta novem ordines, seu choros angelorum. Unde præmissis septem ordinibus addunt primam tonsuram, et episcopatum, juxta can. *Cleros*, dist. 21. ubi omnium illorum fit mentio, sequentibus verbis: « Quorum clericorum gradus, et nomina sunt hæc, Ostiarius, Psalmista (per hunc intelligendo cum Glossa ibidem, initiatum prima tonsura) Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. » Verum de prima tonsura, et episcopatu, ex professo inferius: nunc juxta sententiam theologorum dicendum est qui sint

7. *Ordines alii sacri, seu majores.* — Resp. III. Ex præfatis septem ordinibus alii dicuntur ordines majores, seu sacri; alii minores. Porro, *Ordines sacri*, seu *majores*, sunt tres, videlicet subdiaconatus, diaconatus, ac presbyteratus. Et hi quidem ex eo dicuntur *Ordines sacri*, quia habent annexum votum perpetuæ castitatis, nec non obligationem recitandi *Breviarium*, quibus homines specialiter quasi Deo consecrantur. Dicuntur etiam *Ordines majores*, eo quod per eos ordinati ad majus officium circa Eucharistiam exercendum deputentur: sacerdos scilicet ad consecrandum; diaconus vero, et subdiaconus, ad proxime assistendam, et ministrandum solemniter sacerdoti ad altare. Fatendum quidem est, quod subdiaconatus in primitiva Ecclesia non fuerit connumeratus inter ordines sacros; ut can. *Nullus in episcopum*, dist. 60. De facto tamen, subdiaconatum inter sacros ordines computari, certum est, atque decisum in c. *A multis*, 9. de *Ætate et qualitate præficiend.*

8. *Alii minores, seu non sacri, qui, et cur sic dicantur?* — At vero *Ordines minores* sunt alii quatuor, videlicet ostiariatus, lectoratus,

exorcistatus, acolythatus. Et dicuntur *minores*, ob minus officium, ad quod ordinantur. Dicuntur etiam quandoque ordines *non sacri*; non quidem in eo sensu, quasi nihil sacrum sint, aut contineant (sunt enim et ipsi verum sacramentum; prout colligitur ex concilio Florentino in *Decreto unionis*, et Tridentino, sess. 23, cap. II, et can. 2, ubi absolute et sine ulla limitatione definitur, ordinem, seu sacram ordinationem esse sacramentum) sed dicuntur *non sacri*, ad differentiam ordinum majorum, qui per excellentiam, ob rationes jam allatas, appellantur *sacri*; cum econtra ordines minores non habeant annexam obligationem recitandi *Breviarium*, neque votum perpetuæ castitatis: ut proinde hisce dumtaxat ordinibus initiati, licite possint contrahere matrimonium, si velint.

9. *Materia, et forma singulorum ordinum. Remissive.* — Cæterum, quænam sit materia et forma singulorum ordinum, et quænam officia eorundem, patere poterit ex *Pontificali Romano*: et uberius jam declaravi in *Theolog. morali*, tract. XIV, distinct. 12, quæst. 2, et seqq. ubi plura alia huc applicabilia reperiuntur, ac proinde impræsentiarum omittuntur.

10. *Prima tonsura an sit ordo proprie dictus?* — Quæritur II. Utrum revera prima tonsura sit ordo? In resolutione hujus quæstionis multum variant theologo, et canonistæ: et quia in duas extremas abeunt sententias, nec sine ratione, operæ pretium esse videtur, utriusque sententiæ principaliora fundamenta breviter adducere. Unde

11. *Ponitur sententia negativa theologorum.* — Resp. I. Juxta theologos, prima tonsura non est ordo proprie dictus, neque sacramentum, sed mera dispositio et præparatio ad ordines. Ita Magister sententiarum, divus Thomas, divusque Bonaventura, et Scotus in 4, dist. 24, q. un. in fine, atque theologo communiter; quorum sententiam egometipse secutus sum in *Theologia morali*, pract. 14, dist. 12, quæst. 1, n. 10, atque ex canonistis tenent Vincentius, in c. *Cum contingat*, de *Ætate et qualitate præfic.*; Archidiaconus in can. *Cleros*, n. 16, et post ipsum Bellamera, ibid. n. 4, dist. 21; Pirhing, h. t. n. 1, et Sannig, eod. tit. cap. I, n. 9; Aloys. Riccius in *Praxi fori eccles.* part. III, res. 234, n. 7, et 235, n. 2; card. de Luca, tom. II, disc. 60, de *Regalibus*, n. 12; Jacobus Pignatellus, tom. II, consultat. 66, n. 11, et tom. VIII, consultat. 146, n. 7, allegans alios.

12. *Eadem probatur multipliciter.* — Fundamentum hujus sententiæ desumitur imprimis ex can. 11, dist. 77, ubi pro primo ordine ponitur ostiariatus, illis verbis: « Si quis episcopus esse meretur, sit primum ostiarius: » et consequenter ostiariatum nullus alius ordo præcedit: præcederet autem, si prima tonsura proprie foret ordo. Concordat. can. *A Subdiaconon*, dist. 93, et can. *Seriatim*, dist. 32, ubi distincte enumerantur singuli ordines, et gradus in Ecclesia Dei existentes; nec tamen ulla fit mentio primæ tonsuræ. Atque hoc ipsum novissime observavit concilium Tridentinum, sess. 23, cap. II, de *Sacramento ordinis*, ubi enumerat singillatim ordines, qui ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse cognoscuntur, nec tamen inter eos ponit primam tonsuram. Quinimo citatum œcumenicum concilium non solum primam tonsuram inter ordines non numerat, sed insuper hanc aperte ab ordinibus secernit, separatim ipsam referendo tanquam quiddam prævium ad omnes ordines: dum inquit, quod ordines in Ecclesia sint diversi, et ita « distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Idem fit eodem concilio Tridentino cit. sess. 23, cap. VI, de *Reform.* ubi similiter primam tonsuram expressit verbis, secernit ab ordinibus minoribus, dum ait: « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus, ordinibus constitutus. » His similia habentur, sess. 14, cap. 2, de *Reform.* ibi: « Ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere, » etc. Unde, quod hæc fuerit mens Patrum concilii Tridentini, videlicet primam tonsuram inter ordines non connumerare, sæpius declaravit sacra Congregatio ejusdem concilii interpretis; prout fatetur Fagnanus in c. *Cum contingat*, n. 37, et 38, de *Ætate et qualitate præficiend.*

13. *Eadem probatur multipliciter.* — Accedit ratio: quia per ordinem proprie dictum confertur ordinato potestas exercendi specialem actum ecclesiasticum, seu ministerium aliquod circa Eucharistiam exhibendi; ut patet ex definitione ordinis, num. 3 et 4, allata: atqui per primam tonsuram nulla confertur talis potestas; ergo. Minor probatur ex concilio Trident. cit. sess. 23, cap. XVII, de *Reform.* ubi præcepit, quod in usum revocentur « sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, » ergo concilium censuit, per primam tonsu-